ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

SIVE

ELEGIA

In Injuſtiſsimam trucidationem ſanctiſsimi, Prudentiſſimique Principis,

CAROLI PRIMI,

MAGNÆ BRITANNIÆ,

Galliæ, & Hiberniæ, nuperrimè Regis.

Inhumaniſsimè perpetratam 30. die Januarii, Anno Salutis Mundi, 1648.

Νικᾷ ἓνα πιτάνα———

Cum ſubit illius triſtiſsima noctis imago
Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.

Quantumcunque tamen præconia noſtra valebunt,
Carminibus Vivet *tempus in omne meis.*

Anno 1649.

88 (1)

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ΘΡΗΝΩΔΙ'Α.

SIVE

ELEGIA,

In injuſtiſsimam trucidationem ſanctiſſimi, prudentiſsimiq; Principis, *CAROLI* primi, &c.

QUæ via Parnaſſo? ſudo. Salvete *Sorores*;
Aſt hei! quid fletis? quæ nova ventus habet?
Quid cauſæ mæſtos ſic ſic ſuperundat ocellos?
Hei mihi! quid ſit, mens, qui dolor, alta tremit.
Nil immortali Phœbo lethale noceret:
Regnaque prædari vis ſua nulla poteſt.
Mente recens gravidâ longinquæ mortis imago
Venit amicorum? nullus *Homerus* obit?
Virgilius, *Naſo*, *Flaccus*, *Propertius*, olim
Oſſa ſatis madidis merſa habuêre genis.
An Mœcenatis ſeceſſum plangitis almi?
Ex terris cœlum jam quoque *Dunnus* adit?
Funera *Johnſonii* ſacri, *Quaticuſpidis* alti
(Eheu, quam timeo!) ſic renovare juvat?
Heu dolor! heu gemitus! eheu! prôh falſa Deorum
Juſtitia! infandum! prôh hominumque fides!

Dicitis *Europæ* Solem cedidiſſe? Panerges
Naturæ dormis? quæ mala terra furit?
Queis utar verbis? quænam facundia tantæ
Triſtitiæ noctis pondera dura levet?
Nil miſer admiror veſtras ſubmergere linguas
Mœrorem; infœlix gaudeo parte frui.
Parva tamen lachrymas ceſſatio tergat amaras,
Triſtia quâ melius diſcere fata queam.
Hei mihi! quid facinus! ſcelus indicibile! monſtrum!
Talia vix poſſim credere cœla pati.
Mortuus? indigne? violenter? Numina divûm!
Mortuus? extinctus CAROLUS eſſe poteſt?
CAROLUS excellens omnes virtute: Medulla
Chriſticolûm; Regũ maximus ARCTUS, honor.
Maximus auxiliis miſerorum, maximus auctor
Juſtitiæ, Patriæ gloria, ſtella, decus.
Quis furor, Angligenæ, quænam dementia, Dæmon
Quive INDEPENDENS pectora dirus agit?
Virtutes ubi nunc Anglorum? Regibus olim
(Debita Subjectis) inviolanda fides?
Religio, Pietas, Leges, Aſtræa, pudorque
Expulſæ veſtras deſeruêre plagas?
RELIGIO negat hæc, quæ vos inſania nuper
Urſerat immemores enucleare DEI.
Oh cæcas hominum mentes! queis Lumina viſum
Obcæcant, quales ſecula nulla dabant.
Talia quo vultu feciſtis, & unde poteſtas?
Hæc lex, hæc ratio, hæc *Biblia* ſacra vetant.
Fit via vi vobis, *Stat pro ratione voluntas*;
Semita pulchra quidem, ſi bene ſemper eat.
Quò fugit pietas? ubi nunc reverentia? frontes
Nil niſi fas-ſimiles impia corda gerunt?

Extincta

Extinctâ pietate manet pietatis imago,
Cujus in effigie volvitur omne malum.
Lex *WILData* furit, velamen *SANCTi JOHaNnis*
Ruguſum facta eſt; quam *PRIDE AUXa* viget!
Velle ſuum cuique eſt: effuſi ſanguinis arma
Libera ſtant, modò ſint aurea, Lege valent.
Partibus ignotis *Aſtræa* manere minatur,
Quas lueret pœnas *Albion* auſa pede?
Nec pudet impietas hodie, certatur ab omni
Quis foret excellens ambitione mali.
Temporis ôh mores! ôh quam præpoſtera currunt
Omnia! Naturæ ſubdita regna cadunt.
Nil mirum vulpes nunc debellare *Leones*,
Nec ſervos *Dominos* dilacerare ſuos.
Quum ſemel incluſis olim (mutatio!) cyclis
Orcicolas Magicis ſponte obedire ferunt.
Jam placet infernis contrà, retinere *ROtUNDis*,
Captivos cyclis, *CIRCuLus* ipſe reus.
Incantatores noſtris Acheronta colentes
Temporibus facti, LUCIFER ipſe Magus.
Quis Weſtmonſterium directum credere poſſet
Centrum, ac extenſum terra Britanna foret?
Omnes delitias, (irritamenta malorum)
Queis homines capiar, *CIRCuLus* iſte vomit.
Quo ſemel intratos tenet incantatio captos,
Ut nequeant laqueis eripuiſſe pedes.
Oblito cœlo (miranda *ROtUNDa POTeſtas*)
Pauci deſiſtunt inſinuare malo.
Plus captivorum ſeptem ſubmiſit in annis
Cyclatus Dæmon (quam meminiſſe dolet!)
Quam potuêre decem luſtris feciſſe viginti
Plutones veteres, hic novus omne ſapit.

Quo feror amenter, Cyclocacodæmona ſecli
Cavaleerizans ? URBS ſua turris adeſt.
Fræna relaxentur, facies relavemus aquoſas,
Flumina ſubmerſis fundite fuſa genis.
Mortuus eximius Princeps ? Altiſſimus Heros ?
Sanguine dira ſuo polluit ulla manus ?
Non horrore tremis tales peperiſſe tyrannos ?
Nón irata gemis, *TERRA*, carere *VIRO* ?
Haud ſatis eſt aures glacie ſurdare dolentes,
Haud ſatis eſt oculos condere nive tuos.
Sed ſi vis aliquid ſceleri monſtrarier iræ,
Hoſce tuæ ſedes gurgitet ima domûs.
Non dolet invite tali detrudier, *AER*,
Corpore, & excludi non dolet ore ſuo ?
Nec contriſtari, nec denſis nubibus orbis
Umbrari vultum, ſufficit, illa nihil :
Sed cito ſiquid habes veri infictique doloris,
Actores facias fulmina juſſa vorent.
INDUPERATORIS mortem, *MARE*, cernis iniquam ?
Nil rugis animum ſignificare valet.
Mortui adhùc tecum ſi quædam reſtat imago,
Niteris metas præteriiſſe tuas.
O bruat hos ſubito juſta indignatio Tygres,
Aeolus auxilium ferre negare nequit.
Non piget infandum ſcelus aſpexiſſe peractum,
His dare nonne piget lumina, *PHOEBE*, feris ?
Quinque per eclypſes depingitis ipſe, *SOROR*que,
Livoris, fateor, paucula fruſta paris.
Sed tamen illa parum : Vindex fac Vindice digna,
Perpetuis tenebris improba *Monſtra* premas.
Terra, *Aer*, *Mare*, *Phœbe*, moræ nolite retardent
Ulciſci meritis talia facta plagis.

Heu

Heu lachrymas! ceſſate parum. Suſpiria ceſſent;
Neſcio, qui gelidus concutit oſſa tremor.
Condenſant oculi; paulatim fallere vires
Sentio; nec corpus crura tenere valent.
Brachia ſuſtolli nequeunt; Vitalia ſudant;
Vulnus & extremum cor penetrare parat.
Quæ Metamorphoſis? Labor———

———Ditiſſima Summi
Conſilia! excelſi mira beata Dei!
Quàm nihilum ſapiunt Mortales! Omnia vorſum
Inſcia Naturæ lumina cæca vident.
Pſeudo-ſophiſta Phyſis: Non ergo diutius, ais
Pantocrator, mundus *PRINCIPE* dignus erat?
Si tam dignus erat, cur non fœlicior eſſet?
Curve negabatur proſperitate frui?
Quid furiunt gentes? quid ab illis ſciveris UNCTUM
Calcari? fælix debuit iſſe bonus.
Quis major *Davide* fuit pietate? quis illo
Juſtior? infælix attamen eſſe vides.
Reſpice quam miſerè actatur *Saule*, pericla
Quot patitur, creſcit filius ipſe mala.
Fœlicem eſſe pium vitâ non ſemper oportet,
Caſtigare magis, quos amo, ſæpe placet.
Talia confiteor; Tua ſed Clementia tandem
Davidem cunctis liberat ex laqueis.
Poſt multos vixiſſe annos, benedictio more
Naturæ, ceſſa eſt huic, potuiſſe mori.
Multó aliter noſtro (quantum noviſſe doleſcit)
(Parcis invitis) fata jubentur agi.
Inſipidæ mentes, denſâque caligine tectæ,
Uſque ignoratis? uſque nihil ſapitis?

Neſcitis

Nescitis quantum studuit justissima Regis
Vita, Redemptori persimilare suo.
Multa eadem passus vitâ, non horruit audax
Justitiâ, simili more subire necem.
Jam sedet à dextrâ Domini, fruiturque coronâ
Quæ viget injustis irripienda viris.
Illic Myrmidones *Fairfaxæ Cromwelitæque*
Viribus haud audent imminuisse suis.
Illic illicitæ leges Hybri-Parliamenti
Extendi nequeunt, tutius omen habet.
Vos, quibus illachrymant animæ sua funera, mentes
Spes alat, exaudi tempore vota queant.
Jam scelus ad plenum gentis; jam proximat Ultor;
Ultio inauditi criminis, ecce, venit.
Quo fugiant miseri? conspirant omnia casum
Cyclopum, superant nulla latere loca.
Sensus ad hæc mihi verba redit dulcedine capto,
Visa meis oculis Visio suavis abest:
Gaudia promissi tantum mea pectora complent
Ut nequeam verbis amplificare moram.
Jam Parnasse Vale, Parnassidæque Valete,
Torpida detergat lumina parva quies.
Ut PATRIS invitè secessum diximus, extat,
Adventum NATI proxima musa canet.

οὐκ ἀεὶ χεῖμα ἔσται, ἐρχηται θέρος.

FINIS.